

*Livy moves on from the Regal to the Republican history of Rome with Brutus as his focus: if Brutus had acted differently, he reflects, Rome would have been different.*

liberi iam hinc populi Romani res pace belloque gestas, annuos magistratus, imperiaque legum potentiora quam hominum peragam. quae libertas ut laetior esset proximi regis superbia fecerat. nam priores ita regnarunt ut haud immerito omnes deinceps conditores partium certe urbis, quas novas ipsi sedes ab se auctae multitudinis addiderunt, numerentur; neque ambigitur quin Brutus idem qui tantum gloriae superbo exacto rege meruit pessimo publico id facturum fuerit, si libertatis immaturae cupidine priorum regum alicui regnum extorsisset. quid enim futurum fuit, si illa pastorum conuenarumque plebs, transfuga ex suis populis, sub tutela inuiolati templi aut libertatem aut certe impunitatem adeptam, soluta regio metu agitari coepta esset tribunicis procellis, et in aliena urbe cum patribus serere certamina, priusquam pignora coniugum ac liberorum caritasque ipsius soli, cui longo tempore adsuescitur, animos eorum consociasset? dissipatae res nondum adultae discordia forent, quas fouit tranquilla moderatio imperii eoque nutriendo perduxit ut bonam frugem libertatis maturis iam uiribus ferre possent. libertatis autem originem inde magis quia annum imperium consulare factum est quam quod deminutum quicquam sit ex regia potestate numeres. omnia iura, omnia insignia primi consules tenuere; id modo cautum est ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror uideretur. Brutus prior, concedente collega, fasces habuit; qui non acrior uindex libertatis fuerat quam deinde custos fuit. omnium primum auidum nouae libertatis populum, ne postmodum flecti precibus aut donis regiis posset, iure iurando adegit neminem Romae passuros regnare. deinde quo plus uirium in senatu frequentia etiam ordinis faceret, caedibus regis deminutum patrum numerum primoribus equestri gradus lectis ad trecentorum summam expleuit, traditumque inde fertur ut in senatum uocarentur qui patres quique conscripti essent; conscriptos uidelicet nouum senatum, appellabant lectos. id mirum quantum profuit ad concordiam ciuitatis iungendosque patribus plebis animos.

LIVY 2.1

proximi regis: Tarquinius Superbus, last king of Rome

conuenarum, -arum: *refugees*

transfuga, -ae, m.: *deserter*

tutela, -ae, f.: *protection*

procella, ae, f.: *storm*

pignus, -oris and -eris, n.: *pledge*

solum, i, n.: *soil*

prior: possession of the *fasces* alternated between the consuls on a monthly basis

quo plus: lit. "by which more"—a relative clause + compar. + subj. = purpose

regis: Tarquinius